



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Evtropii De Gestis Romanorvm, Liber Secvndvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**

## CAPTIVITAS VRBIS ROMÆ.



Nno tricentesimo decimoquinto ab urbe condita, Fidenates contra Romanos rebellauerunt: auxiliū præstabant his Veientes, & rex Veientium Tolumnius: quæ ambæ ciuitates tam uicinæ urbi sunt, ut Fidenæ VII, Veientium decimo octauo milliario absint. Coniunxerunt se ijs Volsci. Sed Marco Aemilio dictatore, & Lucio Quintio Cincinnato magistro equitum, uicti etiam regem perdiderunt: Fidenæ captæ & excisæ. Post uiginti inde annos Veientani rebellauerunt. Dictator contra ipsos missus est Furius Camillus, qui primum eos uicit acie, mox etiam ciuitatem diu obsidens cepit antiquissimam Italiæ atq; ditissimam. Postea cepit & Faliscos non minus nobilem ciuitatem. Sed commota est ei inuidia, quia prædam male diuississet: damnatusq; ob eam causam, & expulsus est è ciuitate. Statim Galli Senones ad urbem uenerunt: & uictos Romanos undecimo milliario à Roma apud flumen Alliam secuti, etiam dimissa Clusij Thuscis ciuitate, quam obsidebant: cum Brenno rege suo Romam uenerunt: & ferè Romanum nomen deleuerunt: urbem occupauerunt: neque defendi quicquam nisi Capitolium potuit. Quod cum diu etiam Romani fame laborarent: à Camillo, qui in uicina ciuitate exulabat, Gallis superuentum est, grauissimèq; uicti sunt. Postea tamen accepto etiam auro mille librarum ne Capitolium obsiderent, recesserunt. Sed secutus eos Camillus, ita cecidit, ut & aurum quod his datum fuerat, & omnia quæ acceperant militaria signa reuocaret. Ita tertio triumphans urbem ingressus est, & appellatus secundus Romulus, quasi & ipse patriæ cõditor. Circa hæc tempora ab Hesdra putatur historia ueteris testamenti conscripta. Plato quoq; philosophus his fuisse temporibus perhibetur.

## EVTROPII DE GESTIS

ROMANORVM, LIBER

SECUNDVS.

Tribuni militum Consulari potestate.



Nno CCCLXV. ab urbe condita, post captam autem primo, dignitates mutatae sunt, & pro duobus COSS. facti tribuni militares cõsulari potestate. Hic iã cepit Romana res crescere. Nã Camillus eo anno Volcorū ciuitatem, quæ per LXX annos bellū cum Romanis gesserat, uicit: & Equorum urbem & Sutrinarum, atque omnes deletis earundem exercitibus occupauit: & tres simul triumphos egit. Titus etiam Quintus Cincinnatus Prænestinos, usque ad urbem Romæ portas cum bello uenerunt, prosecutus, ad flumen Alliam uicit: octo

octo ciuitates, quæ sub ipsis agebant, Romanis adiunxit. Ipsam Prænestem aggressus, in deditiōem accepit: quæ ab eo omnia gesta sunt xx diebus. Triumphusque ipsi decretus. Verum dignitas Tribunorum militarium non diu perseverauit. Nam post aliquantum nullos placuit fieri: & quadriennium ita in urbe fluxit, ut potestates sibi maiores non essent: præsumpserunt tamen tribuni militares consulari potestate iterum dignitatem, & triennio perseverarunt. rursus COSS. facti. Lucio Genutio & Quinto Seruilio COSS. mortuus est Camillus: honor ei post Romulum secundus delatus est. His temporibus immensa per continuum biennium Romanos pestis afflixit. Sequenti quoque anno secutum est satis triste prodigium: siquidem in medio urbis terra dissoluitur: uasto, præruptoque hiatu, subito inferna patuerunt. Quod cum diutius ibi maneret, cunctisque terrorem inferret: tandem interpretantibus aruspibus, quod uiui hominis sepulturam expeteret, Marcus Curtius eques Romanus se in id barathrum armatus iniecit: sicque clausum est. Interea Titus Quintius dictator aduersus Gallos, qui in Italiam uenerant, missus est. Hi ab urbe quarto milliario trans Anienem fluuium confederant. Ibi nobilissimus de Senatoribus iuuenis Lucius Manlius, prouocantem Gallum ad singulare certamen congressus occidit: & sublato torque aureo, colloque suo imposito, in perpetuum Torquati sibi & posteris cognomen accepit. Galli fugati sunt: mox per Caium Sulpitium dictatorem etiam uicti. Non multo post à Caio Martio Thuscii uicti sunt, & nouem millia captiuorum ex his in triumphum deducta. Censui iterum habitus est. Et cum Latini, qui à Romanis subacti erant, milites præstare nollent: ex Romanis tantum tyrones lecti sunt, factæque legiones decem, qui modus sexaginta uel amplius armatorum millia efficiebant: paruis adhuc Romanis rebus, tanta tamen in re militari uirtus erat. Quæ cum profecta esset aduersus Gallos duce Lucio Fusco, quidam ex Gallis unum ex Romanis, qui esset optimus, prouocauit: tum illi se M. Valerius tribunus militum obtulit: & cum processisset armatus, coruus ei supra dextrum brachium sedit. Mox commissâ aduersus Gallum pugna, idem coruus, alis & unguibus Galli oculos uerberauit, ne rectum posset aspicere: ita ut à tribuno Valerio interfectus, non solum uictoriam ei, sed etiam nomen dederit: Nam postea idem Coruinus est dictus: Ac propter hoc meritum annorum III. & XX. COS. est factus. Tunc siquidem dilatata nox usque ad plurimam diei partem tendi uisa est: tunc etiam saxa de nubibus cecidere. Eodemque tempore magnus Alexander natus est. Latini, qui noluerunt milites dare, hoc quoque à Romanis exigere cœperunt: ut unus COS. ex eorum, alter ex Romano populo crearetur. Quod cum esset negatum: bellum contra eos susceptum est: & ingenti pugna superati sunt: ac de his perdomitis triumphatum est. Statuæ COSS. ob meritum uictoriæ in rostris positæ sunt. Eodem anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedonia condita est. Iam Romani potentes esse cœperunt. Bellum etiam in centesimo & tricesimo ferè milliario ab urbe apud Samnites gerebat: qui medijs sunt inter Picenû, & Campaniâ, & Appuliâ gentem

gentem, si opulentiam quæras, aureis & argenteis armis, & discolori ueste usq; ad ambitum ornatam. Si insidiarum fallaciam, saltibus ferè, & montium fraude crassantem. Si rabiem & furorem, sacris legibus, humanisq; hostijs in exitum orbis agitantem. Si pertinaciam, sexagies rupto fœdere, ipsis hostibus animosiores sunt. Denicq; prius quàm cum Romanis confligerent, Alexandrũ regem Epirotarum Germanum Olympiæ matris Alexandri magni adierunt, qui traiectis in Italiam copijs, bellum aduersus Romanos parabat: Lucanis suffragium ferentes, maximo bello in Lucania uicere: in quo & ipse Alexander Epirota extinctus est. Romani igitur aduersus Samnites pro Campanis, & Sidicinis bellum susceperunt. Omnium siquidem non modo Italiæ tantum, sed penè toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, tepentes fontibus Baiæ. Lucrinus, & Auernus quædam maris hostia. Hic amici uitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus cunctorum Vesuuius. Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Herculanium, Pompeij, & ipsa caput urbium Capua, quæ quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque nominata. pro hac urbe & his regionibus P. O. R. O. Samnites inuadit. Lucius Papius cursor cum honore dictatoris ad bellum profectus est. Qui cum Romam redisset. Q. Fabio Maximo magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, præcepit ne se absente pugnaret. Ille occasione reperta, felicissime dimicauit, & Samnites deleuit: ob quam rem à dictatore capite damnatus est, quod se uetante pugnasset. Sed ingenti fauore militum, & populi liberatus est. Tantæque Lucio Papiro seditio est commota: ut penè ipse interficeretur. Postea Samnites Romanos Tito Veturio, & Spurio Posthumio C. O. S. S. apud Caudinas Furculas, angustijs locorum conclusos, ingenti dedecore uicerunt. Quorum dux Pontius intantum usus est uictoriæ securitate, ut Herennium patrem consulendum putaret, utrum clausos occideret, an parceret subiugatis. Ut uiuos tamen dedecori seruaret, elegit. Nam uniuersum Romanum exercitum turpiter captum, armis etiam, uestimentisque nudatum, tantum singulis uilioribus operimentis ob uerecundiam corporum tegendam concessis, sub iugo missum, seruitioque subiectum, longum agere pompæ ordinem præceperunt. Sexcentis autem equitibus Romanis in obsidatum receptis, oneratos ignominia, cæteris rebus uacuos C. O. S. S. remiserunt. Sub tali tamen conditione pacis, qualis facienda Samnitibus placuit. Sed si fidem fœderis, quam sibi Romani seruari à subiectis uolunt, ipsi subiecti Samnitibus seruauissent: hodie aut omnino non essent, aut Samnio dominatui seruirent. Post interiecto siquidem anno, iubente Senatu, cum Samnitibus firmata pax soluta est. Luciusque Papius C. O. S. aduersus eos directus est: qui adeo tunc apud Romanos bellicosissimus habebatur: ut cum diceretur Alexandrum in Italiam transehi: Romani inter cæteros duces, hunc præcipue eligerent, qui Alexandri impetum sustineret. Congressi itaq; Samnites cū Papiro, superati sunt. Quorũ septē millibus sub iugum missis, Papius de Samnitibus triumphauit. Eo tempore Appius

Appius Claudius censor, aquam claudiam induxit, & uiam Appiam strauit. Circa hæc tempora Laddus apud Hierosolymam Pontifex extitit: cuius frater Manasses templum in monte Garizim construxit. Samnites reparato bello Quintum Fabium Maximum uicerunt, tribus millibus hominū occisis. Postea cum pater ei Fabius Maximus legatus datus fuisset: & Samnites uicit, & plurima ipsorum oppida cœpit. Deinde Publius Cornelius Rufinus, Marcus Curius Dentatus ambo COS. contra Samnites missi, ingentibus prælijs confecerunt, ita ruinas ipsas urbium diruentes, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur: nec inueniri facile possit. Tunc bellum cū Samnitibus per annos. IX. & XL. actum, sublatum est: neq; ullus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam uirtutem magis fatigauerit. Interiectis aliquot annis, iterum se Gallorū copia contra Romanos Thuscis, Samnitibusq; iunxerunt. Sed cum Romam tenderent, à Cneo Cornelio Dolabella COS. deletæ sunt.

BELLVM TARENTINVM CVM PYR/  
RHO GESTVM.



Odem tempore Tarentinis, qui iam in ultima Italia sunt, bellum indictum est: quia legatis Romanorum iniuriam fecissent. Hi Pyrrhum Epeiri regem contra Romanos in auxilium poposcerunt: qui ex genere Achillis originē trahebat. Is mox ad Italiā uenit. Tumq; primū Romani contra transmarinos hostes dimicauerūt. Missus est cōtra eos COS. Publius Valerius Leuinus: qui cū exploratores Pyrrhi cœpisset: iussit eos p castra duci, & ostēdi omnē exercitū, tumq; dimitti, ut renuntiarent Pyrrho quæcunq; à Romanis agerentur. Cōmissa mox pugna cū iā ilico Pyrrhus fugeret, Elephantorū auxilio uicit, quos incognitos Romani expauerunt: sed nox prælio finē dedit. Leuinus tamen per noctē fugit. Pyrrhus ex Romanis mille octingētos cœpit, & eos summo honore tractauit, & occisos sepeliuit. Quos cū aduerso uulnere, & truci uultu etiā mortuos iacere uideret: tulisse ad cælū manus dicitur, cū hac uoce, Se totius orbis dominū esse potuisse, si tales sibi milites contigissent. Post id Pyrrhus iūctis sibi Samnitibus, Lucanis, Brutijsq; Romā perrexit: omnia ferro, ignēq; uastauit. Campaniā populatus est: atq; ad Prænestē uenit milliario ab urbe XVIII. Mox terrore percussus exercitus, quia eū tū consul sequebatur, in Campaniam se recepit. legati ad Pyrrhum de redimendis captiuis missi, ab eo honorifice suscepti sunt: captiuos sine pretio Romam misit. Vnum ex legatis Romanorum Fabricium, sic admiratus est: ut cum eum pauperē esse cognouisset: quarta parte regni promissa sollicitare uoluerit, ut ad se transfirer. Cōtemptusq; à Fabricio est: ob quod cum Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem cum eis æquis conditionibus peteret, præcipuum uirum Cineam nomine, ita ut Pyrrhus partem Italia, quam iam armis occupauerat, obtineret. Cineas legatus postera die, quā ingressus Romā fuerat, & eque streum ordinem, & senatum proprijs nominibus salutauit. Pax tamen, quam of-  
ferebat

ferebat, displicuit. Remādatum est Pyrrho à senatu, eum cum Romanis nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. Tunc Romani iusserunt captiuos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, quod armati capi potuissent; nec ante eos ad ueterem statum reuerti, quam sibi notorum hostium occisorū spolia retulissent. Ita legatus Pyrrhi reuersus est: à quo cum quæreret Pyrrhus qualem Romam comperisset: Cineas dixit, Regum se patriam uidisse, scilicet illic fore tales omnes, qualis unus Pyrrhus apud Epeirum, & reliquam Græciam putaretur. Missi sunt contra Pyrrhum ducē P. Sulpitius & Decius COSS. Certamine commisso, Pyrrhus uulneratus est, elephanti interfecti. XX millia caesa hostium, & ex Romanis tantum quinque millia. Pyrrhus Tarentum fugatus, Interiecto anno contra Pyrrhū Fabricius est missus, qui prius inter legatos sollicitari nō poterat, quarta parte regni promissa. Tunc cum uicina castra ipse & rex haberent: medicus Pyrrhi nocte ad eum uenit, promittens ueneno se Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur: quem Fabricius uinctum reduci iussit ad dominum, Pyrrhōque dici, quæ contra caput eius medicus spondisset. Tunc rex admiratus eum, dixisse fertur, Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quàm Sol à cursu suo auerti posset. Tunc rex in Siciliam profectus est. Fabricius autem uictis Samnitibus, & Lucanis triumphauit. COSS. deinde Curius Dentatus, & Cornelius Lentulus aduersum Pyrrhū missi sunt. Curius contra eum pugnavit, exercitū eius cecidit: ipsum Tarento fugauit, castra cepit. Ea die caesa sunt hostium XXIII millia. Curius in consulatu triumphauit. Primus Romam elephantes quatuor duxit. Pyrrhus etiam à Tarento mox recessit, & apud Argos Græciæ ciuitatem occisus est. Apud Iudæos hoc tempore Pontifex maximus Simon Oniæ filius, cui cognomentum Iusto fuit. Dehinc Tarentini Pyrrhi morte comperta, iterum noua arma aduersum Romanos sollicitant. Carthaginensiu auxilia per legatos poscunt, atq; accipiunt. Carthaginenses à Romanis uincuntur: quibus nondū hostes iudicati, senserunt tamen se posse à Romanis superari, Caio Fabricio Lucino, Caio Claudio Cānio COSS. Anno urbis cōditæ CCCCLXI legati Alexandrini à Ptolemæo missi, Romā uenere: & amicitiam, quā à Romanis petierant, obtinuerunt, Quinto Gulone, Fabio pictore COSS. Bellum Picentes cōmouere: & ab insequentibus COSS. Publio Sempronio, Appio Claudio uicti sunt: & de his triumphatū est. Conditæ sunt à Romanis ciuitates Ariminum in Gallia, & Beneuetum in Samnio. Tunc etiam à Romanis Croton inuaditur: eo tempore pluribus locis è fontibus cruor fluxit. De nubibus in spem pluuiæ lac descendit, Marco Attilio Regulo, Lucio Iunio Libone COSS. Salentinis bellum indictum est: capti q; sunt cum ciuitate simul Brundusini, & de his triumphatum est.



BELLVM PVNICVM.  
 Nno CCCCLXXVII. cum iam darum urbis Romæ nomē esset, arma tamen extra Italiam mora non fuerant. Ut igitur cognoscere, quæ copiæ Romanorū essent, cēsus est habitus. tū inuenta sunt ciuiū capita CCXCII. millia CCCXXXIII. quanq;

quanquam à Condita urbe nunquam bella cessassent: & contra Afros bellum susceptum est. Primum Appio Claudio, Quinto Fabio COSS. in Sicilia cōtra eos pugnatum est. Et Appius Claudius de Afris, & rege Sicilia Hierone triumphauit. Insequenti anno Valerio Marco, & Octacilio COSS. in Sicilia à Romanis res magnæ gestæ sunt. Taurominitani Catanenses, & præterea quinquaginta ciuitates in fidem acceptæ. Tertio anno in Sicilia contra Hieronē regem Siculorum bellum præparatum est, cum omni nobilitate Syracusanorū, pacem à Romanis impetrauit: deditq; argenti ducēta talenta. Afri in Sicilia uicti sunt: & de his secundo Romæ triumphatū est. Quinto anno Punici belli, quod contra Afros gerebatur, primum Romani Caio Duellio, & Cneo Cornelio Afina COSS. in mari dimicauerunt paratis nauibus rostratis, quas Liburnas uocant. COS. Cornelius fraude deceptus est. Duellius cōmisso prælio, Carthaginensium ducem Hannonē uicit. XXX. & unam naues cepit. XIII. merfit. VII. millia hostium cepit, tria millia occidit: neq; ulla uictoria Romanis gratior fuit: quod in uicti terra, iam etiam mari plurimum possent. Caio Aquilio, Floro Lucio Scipione COSS. Scipio Corsicam, & Sardiniam uastauit: multa millia inde captiuorum abduxit, triumphum egit. Lucio Mallio Volsone, Marco Attilio Regulo COSS. bellum in Africam translatum est: contra Amilcarem Carthaginensium ducem in mari pugnatum, uictusq; est. Nam perditis LXIII. nauibus retro se cepit. Romani XXII. amiserunt. Sed cum in Africam transissent: primam Clypeam Africæ ciuitatem in deditiōnem acceperunt: consules usq; ad Carthaginem processerūt, multisq; uastatis oppidis, Mallius uictor Romam redijt, & XXVII. millia captiuorum cum ingentibus spolijs reduxit. Attilius Regulus in Africa remansit. Is contra Afros aciem instruxit, contra tres Carthaginensium duces, Asdrubales duos, & Amilcarem dimicans, uictor fuit. XVIII. millia hostium cecidit: quinq; millia cum XVIII. elephantis cepit. Inter hæc apud fluuiū Bagradam, Regulus serpentem miræ magnitudinis, qui milites multos, qui ad aquam descenderant, deuorauerat, occidit: cuius corium centum uiginti pedum longitudinem habuit: Romaniq; delatum, aliquandiu cunctis miraculo fuit. Tunc uicti Carthaginenses pacem à Romanis petierunt: quam cum Regulus noller, nisi durissimis conditionibus dare: Afri auxilium à Lacedæmonijs petierunt: & dux adhuc, & rex Xanthippus, qui à Lacedæmonijs missus illi præfuit bello, cuius & uictor fuit. Romanorū dux Regulus uictus est ultima pernicie, nam duo millia tantum ex omni Romano exercitu refugerunt. XV. millia cum Imperatore Regulo capta sunt. XXX. millia occisa. Xanthippus ilico ex Africa migravit in Græciam: Regulus ipse in cæthenas coniectus. Hac tempestate Ptolemæus Philadelphus, Iudæos qui in Aegypto erant, liberos esse permisit. Et uasa Eleazaro pontifici Hierosolymorum uotiuā transmittens, diuinas scripturas in Græcam uocē ex Hebræa lingua per LXX. interpretes transferre curauit: quam in Alexandrina bibliotheca habuit: quā sibi ex omni genere literaturæ comparauerat. M. Aemilio Paulo, Seruio Fuluio nobiliore COSS. ambo Romani COSS. ad Africam profecti sunt: cum trecentarū nauium classe Clypeam

S petunt:

*Ptolemæus  
per LXX. interpretes  
has uas. scripturas  
sunt transl. per  
de hebraico ad  
græcum*

petunt: & contra Carthaginienses uenerunt, primum Afros nauali certamine superant. Aemilius consul, centū & quatuor naues hostium demersit: triginta cum pugnatoribus cepit. xv. millia hostium aut occidit, aut cepit: militē suum ingenti præda ditauit. Et subacta Africa tunc fuisset, nisi quod tanta fames erat, ut diutius exercitus expectare non posset. COSS. cum uictrici classe redeuntes, circa Siciliam naufragium passi sunt: & tanta tempestas fuit, ut ex quadringentis sexaginta nauibus, octoginta seruari uix potuerunt. Neque ullo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani statim ducentas naues reparauerunt: neq; in aliq; animus his infractus fuit. Hoc tēpore argenteus nummus primum in urbe figuratus est. Cneus Seruius Cepio, Cneus Sempronius Blaesus COSS. cum ducentis sexaginta nauibus ad Africam profecti sunt: aliquas ciuitates ceperunt: prædam ingentem reducentes, naufragium passi sunt circa Palinurum promontorium. Ita q; cum continuæ calamitates Romanis displicerent, decreuit Senatus, ut à maritimis prælijs recederetur: & tantum sexaginta naues ad præsidium Italiæ saluæ essent. Lucio Cecilio Metello, Caio Furio Placido COSS. Metellus in Sicilia Afrorum ducem Asdrubalem cum CXXX. Elephantis, & magnis copijs uenientem superauit. Apud Pannorum xx. millia hostium occidit: sex & xx. Elephantes cepit: reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat, collegit: & Romam deduxit ingenti pompa, cum CXXX. Elephantorum numero omnia itinera completeret. Post hæc mala Carthaginienses Regulum ducem, quem ceperant, petierunt, ut Romam proficisceretur: & pacem à Romanis obtineret, & permutationem captiuorū faceret. Ille Romam cum uenisset, inductus in Senatum nihil quasi Romanus egit: dixit q; ex illa die, qua in potestatem Afrorum uenisset, Romanum esse desuuisse: ita q; & uxorem à complexu remouit: & senatui suauis, ne pax cum Pœnis fieret: Illos enim fractos tot casibus spem nullam habere: Tanti non esse, ut tot millia captiuorum propter se unum & senem, & paucos qui ex Romanis capti fuerant, redderent. Itaque obtinuit: Nam Afros pacem petentes nullus admisit. Ipse Carthaginem redijt, offerentibusq; Romanis, ut eum Romæ tenerent, negauit se in ea urbe mansurum, in qua postquam Afris seruierat, dignitatem honesti ciuis habere nō posset. Egressus igitur ad Africam, circumcisis palpebris, ut usq; ad mortem cruciatu intolerabili, ac dolore uigilaret: demum omnibus supplicijs extinctus est. Post Claudio Pulchro, & C. Iunio COSS. Claudius contra auspicia pugnauit: & à Carthaginiensibus uictus est: Nam ex ducentis uiginti nauibus, quas in Dreparitano adduxit portu, cum xxx. fugit. xx. cum pugnatoribus captæ sunt, demersæ cætera: octo millia hominū cæsa, uiginti millia capta. Alius quoq; COS. naufragio classem amisit: exercitum tamen saluum habuit: quia uicina litora erant. Anno etiam sequenti classis Punica in Italiam transiit, eiusq; plurimas partes longe, latēque uastauit. Dum hæc agerentur, apud Iudæam post Eleazarum suscepit Manasses auunculus eius pontificatum, Caio Luctatio Catullo, Aulo Posthumio Allicano consulibus. anno belli Punici xxiii. à Catulo bellum cōtra Afros cōmissum est. Profectus est cum trecentis nauibus



nauibus in Siciliam. Afri contra ipsum quadringentas parauerunt. Nunquam in maritimis copijs sic pugnatum est. Luctatius Catulus nauem æger ascendit, uulneratus enim in pugna superiore fuerat. Contra Lilibeum ciuitatem Siciliae pugnatum est ingenti uirtute Romanorū: nam septuaginta tres Carthaginiensium naues captæ sunt. XXX. demersæ. XXXII. millia hostium capta. XIII. occisa. Infinitum auri & argenti pondus in potestate Romanorum redactum est. Ex classe Romana XII. naues demersæ. Pugnatum est sexto Idus Martias. Statim Carthaginienses pacem petiuerunt, ut redimi eos captiuos liceret, quos ex Afrijs Romani tenebant. Senatus iussit sine pretio eos dari, qui in publica custodia essent: Qui autem à priuatis tenerentur: ut pretio dominis reddito, Carthaginem redirent: atq; id pretium ex fisco magis, quam à Carthaginiensibus solueretur. Carthaginienses sanè sub hac conditione cum Romanis pacem fecerunt: ut eis per continuos XX. annos persoluerent argenti puri tria millia talentorum. His diebus Iudæorum pontifex Onias Simonis iusti filius, clarus habebatur. Tunc etiam Quintus Ennius poeta Tarenti nascitur, qui Romæ docuit, contentus unius ancillæ ministerio. Quintus Luctatius, Aulus Mallius COSS. creati, bellum Faliscis intulerunt: quæ ciuitas Italiae opulenta quondam fuit, quod ambo COSS. intra sex dies quæ uenerant, transegerunt quindecim millibus hostium caesis, cæteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato.

## EVTROPII DE GESTIS

ROMANORVM LIBER

TERTIVS.



INITO igitur Punico bello, quod per XXII. annos contractum est: Romani iam clarissima fama noti, legatos ad Ptolemæum Aegypti regem miserunt, auxilia promittentes, quia rex Syriae Antiochus bellum ei intulerat. Ille gratias egit, auxilia non accepit, iam enim fuerat pugna transacta. Eodem tempore potentissimus rex Siciliae Hieron Romam uenerat ad ludos, & ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit. Lucio Cornelio Lentulo, Fuluio Flacco COSS. cum quibus Hieron Romam uenerat, etiã contra Ligures intra Italiam bellum gestum est. Nam ijdem COSS. primi trans Padum Romanas duxere legiones, pugnatum est ibi cum Insubribus & Liguribus, quorum interfecta sunt XXIII. millia. V. millia capta sunt, & de his triumphatum est. Sequenti anno in Piceno flumen sanguine effluxit: & apud Tuscos caelum ardere uisum est: & Arimini nocte, multa luce fulgentes, tres simul lunæ apparere. Carthaginienses tamen bella reparare tentabant, Sardinenses, qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandum impellentes. Venit tamè legatio Car-

S 2 thaginiensium